

Bergmann

De Inscriptione Latina


LIBRARY OF PRINCETON
THEOLOGICAL SEMINARY



DE

INSCRIPTIONE LATINA

AD

P. SULPICIUM QUIRINUM

COS. ANNI DCCXLII U. C.,

UT VIDETUR, REFERENDA

SCRIPSIT

RICHARDUS BERGMANN,

PH. D. AA. LL. M.

BEROLINI,

APUD F. SCHNEIDERUM ET SOC.

MDCCCLI.

Recension

D, Schm. Jahrb. 67, 86-88

In societatis archaeologicae Berolinensis consessu pridie Nonas Junias anni superioris habito quum dissererem de inscriptione latina mutila, quam Tibure effossam edidit Donatus in thesauri Muratoriani supplemento p. 464 s. n. 3:

. . GEM · QVA REDACTA IN POST . . .
. . . AVGVSTI · POPVLIQVE ROMANI · SENAT . . .
. . . SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROS . . .
. . . IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH . . .
. . . PROCONSVL · ASIAM · PROVINCIAM · OI . . .
. . . DIVI · AVGVSTI · ITERVM SYRIAM . . .

versus primi verbis „qua redacta in po[te]st[atem“ manifesto ad gentem vel terram Romanorum imperio subiectam spectantibus, in litteris „GEM“ Germaniae nomen inesse arbitrabar exhibitum per compendium, sed pariter atque potestatis vocabulum eius, qui transscripsisset, incuria corruptum. Neque aliud mihi cognitum erat apographum, unde litteras „GEM“ non esse tentandas appareret. Inter legatos autem in Germaniam missos ab Augusto, quo imperante vir clarissimus hoc monumento celebratus muneribus suis perfunctus est, C. Sentius Saturninus consul anni 757 u. c. (4 p. Chr. n.), P. Quinctilii Vari in illa provincia decessor, collatis Velleii Paterculi (II c. 105 et 109) et Cassii Dionis (l. LV c. 28 p. 802 R.) de eo testimoniis, videbatur esse unus, ad quem titulus apte posset referri. Sed coniecturam nostram, quantumvis arrideret ac probata esset ab aliis, relinquere coacti sumus, postquam Theodorus Mommsenius, professor Lipsiensis, benignissime nobiscum communicavit inscriptionis, quae nunc Romae in Museo Vaticano collocata est, exemplar

accuratissime ab ipso descriptum; cui simul praeter nonnulla alia cognitu dignissima sententiam suam de lapide uberrime expositam addidit. Quae quidem omnia, quum, ut commodum esset iis uti, pro summa sua liberalitate mihi concesserit, opportuna gymnasii Luccaviensis annalibus praefandi occasione oblata, latinis verbis reddita publici iuris facio, ut, quid mihi iam ipsi de re multum agitata neque amicorum studiis destituta videatur, possim subiungere.

Quam parum fidei sit vel optimae famae libris, in quibus inscriptiones collectae sunt, habenda, hoc novo lapidis e tot tantorumque antiquitatis monumentorum naufragio servati apographo comprobatur. Ecce tibi, quam vehementer ab illo, quod e Donato supra attulimus, discrepet:

GEM · QUA · REDACTA · IN POT
AUGUSTI · POPVLIQVE · ROMANI · SENATV
SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROSP
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH
PRO . CONSVL ASIAM · PROVINCIAMOP
DIVI · AVGVSTI · ITERVM · SYRIAM · ET · PH

Commentarii, quem Mommsenius v. ill. adiunxit, verba sunt haec:

„„Inscriptionem primus typis mandavit Lamius in „Novelle Fiorentine a. 1765“ p. 355, unde petiit Donatus; deinde tanquam ineditam, sed male expressam protulit Sanclementius in libro: „de vulgaris aerae emendatione (Romae 1793)“, p. 414, secundum Sartii abbatis apographum. Reperta a. 1764 Tibure inter villam Hadriani et viam Tiburtinam, loco pari ab utraque intervallo distante, in aedes Boschiorum Tiburtinas pervenit, unde delatam in Musei Vaticani receptacula transscripsi. Litteras, quales Augusti aetate erant in usu, nitidius atque elegantius incisas nunquam vidi. Lectione nihil est certius; vs. 1 non solum litterae GEM constant, sed ante eas etiam litterae E basis animadvertitur, ut de supplemento RE]GEM non dubitandum sit; vs. 5 extremo, ubi Lamius et Donatus exhibuerunt: OI... Sanclementius: OM, lapis contra aperte praebet OPtinuit. —

Quum nomen desit, quaeritur, num ex indiciis nobis servatis colligere possimus, quisnam eorum, qui Augusti aetate duces exstiterunt, conditus fuerit sepulcro hac inscriptione ornato. In qua quatuor haec inesse intelligimus bene observanda:

I, Dux gentem devicit et regem, cuius meriti gratia supplicationes ei et ornamenta triumphalia obtigerunt.

II, Post illam, quam reportavit, victoriam proconsul Asiam obtinuit.

III, Syriam (quacum Phoenice usque ad Septimii Severi principatum erat coniuncta) duobus temporibus administravit, primum, antequam Asiam sortitus est, iterum post Asiae proconsulatum, quae munera omnia ante Augusti mortem obiit.

Sanclementius l. c. p. 424 bene docuit, vocem „iterum“ provinciae praesidis, sive ab Imperatore, sive a senatu populoque missus fuerit, nomini appositam semper ad eandem provinciam bis administratam spectare, quum, si quis diversas rexerit provincias, hoc nunquam pro iteratione muneris haberi pateat. Exemplo est L. Marii Maximi, illius rerum scriptoris, titulus a Muratorio editus p. 2023, 5, ubi scriptum reperimus: L. Mario Maximo | Perpetuo Aureliano | c. v. praef. urbis | proconsuli provinc. | Asiae iterum | proconsuli provinc. | Africae ct., non : proconsuli tertium.

IV, Ille, de quo quaeritur, Augusto imperatori superfuit.

Inde Sanclementius ad P. Sulpicium Quirinium, Syriae praesidem omnibus notum, inscriptionem esse referendam, recte omnino videtur iudicasse, nec desunt, quibus causae, quas attulit, magis etiam confirmentur.

Addimus igitur ad I: Tacitus Annalium libro III c. 48 narrat, Quirinium post consulatum (a. 12 ante Chr. n. gestum) expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptum esse. Ex Strabone [1]) autem apparet, Homonadenses illo tempore regibus paruisse; quorum unum Sulpicius in bello, quod adversus gentem gessit, internecino [2]) haud dubie fugavit (vel cepit vel interfecit).

ad II: Sulpicium Asiae proconsulem fuisse, quamquam alibi, quod sciam, non traditum est, tamen, quum unusquisque consulum ex legibus atque more decem annis postquam munere functus est, alterutram provinciarum, quae senatus populique auctoritate regebantur, consularium, aut Asiam aut Africam susceperit administrandam, tanquam pro certo possumus habere, Quirinio, qui plus triginta post consulatum annos vixerit, aut Asiam aut Africam obtigisse, ac verisimile est, eum legitimo tempore, anno post Chr. n. secundo, vel brevi post provinciam consularem obtinuisse.

---

1) l. XII p. 569 Cas: *εἰς δὲ τοὺς Ὁμοναδέας παρελθὼν (Ἀμύντας), οἳ ἐνομίζοντο ἀληπτότατοι, καὶ καταστὰς ἤδη κύριος τῶν πλείστων χωρίων, ἀνελὼν καὶ τὸν τύραννον αὐτόν, ἐξ ἀπάτης ἐλήφθη διὰ τῆς τοῦ τυράννου γυναικός.*

2) ib. *ἐκείνους δὲ Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις κ. τ. λ.*

ad III: Anno post Chr. n. sexto Quirinius, quod nemo ignorat, Syriae praefectus, Archelai regno in provinciae formam redacto, primum per Judaeam censum habuit romanum [3]). Syriam eum illo tempore legatum Augusti pro praetore iterum rexisse, quamquam diserte commemoratum nusquam reperimus, nihilo tamen minus veri est simillimum. Sed quo nomine, cuiusnam auctoritate Quirinius cum imperio fuit in Cilicia? Quod Sanclementius, quum non habeat, quo hanc difficultatem simpliciter explicet, imperium extra ordinem ei datum esse statuit [4]), haud facile quisquam probaverit. Sane ex legibus atque ordine Ciliciae praeesse non potuit, quum secundum Taciti testimonium ipse consularis, Cilicia vero provincia fuerit praetoria [5]). Contra vix dubium est, quin Cilicia imperante Augusto praeside suo caruerit, qua quidem conditione et ante et postea usa est. Provinciae partem, quae spectat ad occidentem, Ciliciam asperam, Cappadociae regno Augustus assignavit [6]), alteram vero, ad orientem versam, Syriae praesidis administrationi subiunctam esse, quamquam Norisius negat, rei tamen naturae maxime convenit. Itaque Quirinius tempore, quod includitur eius consulatu, anno 742 u. c. (12 a. Chr. n.) gesto, et Asiae proconsulatu, quem anno fere 752 (2 a. Chr. n.) sortitus est, Syriam provinciam consularem, viris tantum cognitae virtutis spectatisque dari solitam, videtur [7]) obtinuisse, et cum ea finitimam Ciliciae partem. In Syriae proconsulum ordine, qui sub Augusto fuerunt, lacuna apparet inter annum 750 a. u. c. (4 a. Chr. n.) ubi Quinctilius Varus, et annum 758 (5 p. Chr. n.), quo Volusius Saturnius provinciae praefuit. Hoc igitur in tempus primum Quirinii proconsulatum incidere necesse est, neque a vero aberrabimus statuentes, annis 750 et 752 eum contineri. Sanclementius, quae Lucas evangel. cap. 2 vs. 2 tradat, huc relata cum historia non amplius pugnare existimat. P r i m u m, censum a Luca memoratum, suspicatur non esse eum, qui per Judaeam habitus sit primus, sed primum, quem Quirinius ad c e n s u s a c c i p i e n d o s extra ordinem missus habuerit. At ex inscriptione, in qua homo l e g a t u s A u g u s t i i t e r u m S y r i a e dicatur, priorem quoque magistratum fuisse Syriae legationem ex ordine ei mandatam, elucet; Lucae vero alterum Quirinii proconsulatum obversatum esse, haud bene negaris, quum per Judaeam, ante-

---

3) Joseph. antiqq. Jud. l. XVIII. init.

4) l. c. p. 420.

5) v. Gruter. p. 1102, 9. Noris. cenot. Pis. p. 219; inscriptio, quam Marinius in Act. fratr. arval. p. 751 s. n. 129 attulit, ex Steiner. cod. inscr. rom. Rheni n. 768 emendanda est.

6) Strab. l. XIV p. 671.

7) v. Tacit. Agr. c. 40.

quam in provinciae formam redacta esset, (quod a. 759 factum est,) census ex imperatoris romani auctoritate habitus esse nequeat [8]). Praeterea Quirinium plus quam unum censum egisse, omnino non est probabile. Itaque, si ista Sanclementii de primo censu sententia ad verum accederet, scriptor perabsurdi aliquid dixisse videretur; quod multo minus certe tuleris, quam peccatum in temporis ratione admissum. Quum Quirinius anno, quo Christum natum esse antiquissimi Christiani credebant, 751 Varr. Syriae praefuerit, Lucas hoc ipso, ut eius mentionem faceret, adduci facile potuit; sed ea cum re, quae de censu romano narravit, nullo modo constant.

ad IV: Quirinius anno 774 (p. Chr. n. 21) diem obiit [9]).““

Quibus expositis Mommsenius inscriptionem ita restituit:

p. sulpicius . . . . f . . . . . quirinius . cos
. . . .
. . . .
leg. divi augusti syriam et phoenicem rexit
vicit homonadensium gentem et . . . . . .
r[illegible]GEM · QUA · REDACTA · IN POTestatem divi
AUGUSTI · POPVLIQVE · ROMANI · SENATVs decrevit
SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROSPere gestas
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPHalia
PRO · CONSVL ASIAM · PROVINCIAMOPtinuit leg.
DIVI · AVGVSTI · ITERVM · SYRIAM · ET · PHoenicem administravit

Etsi iam nobis quoque P. Sulpicius Quirinus [10]) hoc titulo celebratus videtur, in nonnullis tamen a Mommsenio dissentimus.

Quod vir ill. Quirinum Syriam provinciam iam ante annum 759 (6 p. Chr. n.), quo iterum eam susceperit administrandam, rexisse iudicat, quum

---

8) cf. Hoeck. histor. Rom. Tom. I. P. 2 p. 412 sq.

9) Tacit. Ann. l. III. c. 48.

10) Ita quidem scriptum nomen rectius se habet quam altera forma „Quirinius“. v. Deylingii Obss. S. S. P. 2 p. 326 et Ernest. ann. ad Tacit. Ann. l. II. c. 30. et l. III. c. 48.

in ratione, qua vs. 6 vocem „iterum“ explicandam censet, tum in eo consistit, quod, nisi Quirinum, quum Homonadenses superaret, Syriae praefuisse statueris, non satis intelligi existimat, quomodo in Cilicia cum imperio esse potuerit. Sed vox „iterum“, non necesse est, ad provinciam duobus temporibus administratam referatur, quum etiam muneris prorogationem significare possit, quemadmodum in duabus inscriptionibus graecis Hadriani aetate sub Egnatio Lolliano Asiae proconsule compositis τὸ β̄ ad secundum proconsulatus annum spectat 11). Ac simile quid observavimus in duobus titulis latinis, quorum alter in honorem Eprii Marcelli oratoris, qui Vespasiano imperante Asiam obtinuit, factus est 12), alter ad eundem illum Lollianum pertinet 13). In utroque enim numerus III proconsulis dignitati adiectus hominem per tres annos provinciae praefuisse indicat 14).

Deinde, etiamsi Ciliciae partem ad orientem spectantem a Syriae praeside administratam esse verisimile sit, ex eo tamen Quirinum, quo tempore Homonadenses domuerit, Syriam rexisse, colligere non licet, quoniam in dicta Ciliciae parte illi omnino non habitarunt. Sedes eorum a compluribus geographis antiquis neglectae vel ignoratae 15) in Tauri saltibus ad septentriones vergentibus fuerunt ad Ciliciae asperae fines, ubi ab una parte Pisidas ex iisque maxime Selgenses, ab altera Isauros attingebant 16). Plerumque armati vicinos agros depopulabantur, quare Amyntas, Galatarum rex, cuius regni finibus erant inclusi 17), bellum iis intulit; in quo quum anno 729 u. c. (25

---

11) Boeckh. Corp. inscr. Vol. II n. 2870, 10: ἐπὶ ἀνθυπάτου τὸ β̄ Ἐγνατίου Λολλιανοῦ. n. 3517, 4: ἀνθυ(πάτῳ) Λολλιανῷ τὸ β̄. Cf. ib. p. 560. b et p. 844. a.

12) „T. Clodio. M. f. Fal. | Eprio Marcello | cos . II . auguri | curioni maximo | sodali Augustali | pr. per. procos Asiae . III | provincia . Cypros.“ Ediderunt Avellino in libello. „Osservazioni sopra un' epigr. del real museo Borbon. ct. Napol. 1851.“ et Borghesi in „Bullett. dell. instit. di corr. archeol. per l' a. 1831 p. 147 cum commentario praestantissimo. Cf. Cardinali dipl. imper. Velletri 1835 p. 23 tav. VI et p. 89 sq.

13) Lapidem Alexandriae Troadis repertum attulit Boeckh. l. c. p. 844. b. : TOLLIANO | III . PROCOS.

14) Eprius Marcellus proconsul fuit ab anno 824 (71 p. Chr. n.) fere medio usque ad ad annum 827 (74 p. Chr. n.) fere medium (cf. Borghesi l. c.), Lollianus per tres annos incertos.

15) cf. Strab. l. XIV p. 679 init. Plin. hist. nat. l. V c. 23.

16) cf. Strab. l. XII p. 570 init. l. XIV l. c. et p. 668. Plin. l. c.

17) Amyntae regnum praeter Galatiam comprehendit Lycaoniam, Isauriam, Phrygiae τῆς παρωρείου quaedam et Phrygiae Pisidicae tractum, qui inde ab Antiochia usque ad Apolloniadem (prope Apameam Ciboton sitam) patebat, Pisidiam, Pamphyliae quaedam oppida et agros, Ciliciam asperam excepta Seleucia, itaque mare Pamphylium et Cilicium attigit. Strab. l. XII p. 569 et l. XIV p. 671 coll. Cass. Dion. l. XLIX c. 32 p. 592 et l. LIII c. 26 p. 721.

a. Chr. n.) vitam amisisset[18]), cura subigendi gentem rapinis assuetam haud dubie ad Galatiae provinciae exinde confectae praesidem, ad quem res maxime pertineret, delata est. In eius ditione initio totum Amyntae regnum Pamphyliae oppidis agrisque exceptis apparet[19]). Mox vero Augustus anno 734 (20 a. Chr. n.), quo in Asia singularum provinciarum res constituit, Ciliciam asperam praeter Seleuciam Archelao, Cappadociae regi, attribuit[20]), sed Tauri iuga ad septentriones vergentia intra provinciae fines manebant[21]). Itaque nobis persuasum est, Quirinum, quum expeditionem adversus Homonadenses faceret, legatum Augusti pro praetore Galatiae fuisse. Tempus autem, in quod hunc eius honorem incidere necesse est, annis 743 (11 a. Chr. n.) et 754 (1 p. Chr. n.) continetur, quoniam secundum Taciti testimonium Homonadenses brevi post consulatum et, quod ex inscriptione nostra colligitur, prius devicit, quam Asiae proconsulatum iniit.

Mommsenius Asiam a Quirino circa annum 752 (2 a. Chr. n.) administratam esse existimat, nec sine iusta causa, quod ex more legibusque consulares decem annis post gestum in urbe magistratum proconsulatum obtinuerint. Sed hunc ordinem, quem in universum servatum esse scimus, illo ipso tempore interdum violatum videmus. Nam praeterquam quod Augustus anno 742 (12 a. Chr. n.) Asiae civitatibus legatum a se delectum in duos annos praefecit[22]), C. Asinius Gallus, C. Asinii Pollionis celeberrimi filius[23]), consul anni 746 (8 a. Chr. n.) et Julus Antonius, triumviri filius,

---

18) Strab. l. XII p. 569.

19) Strab. l. c. et p. 571 coll. Cass. Dion. l. LIII c. 26 p. 721.

20) Strab. l. XII p. 535 init. et l. XIV p. 671 coll. Cass. Dion. l. LIV c. 9 p. 738. Ciliciae asperae fines Strabo describit l. XIV p. 668 init.: *τραχειᾶ μὲν λέγεται, ἧς ἡ παραλία στενή ἐστι, καὶ οὐδέν, ἢ σπανίως ἔχει τι χωρίον ἐπίπεδον· καὶ ἔτι ἧς ὑπέρκειται ὁ Ταῦρος, οἰκούμενος κακῶς μέχρι καὶ τῶν προςβόρων πλευρῶν τῶν περὶ Ἴσαυρα καὶ τοὺς Ὁμοναδέας μέχρι τῆς Πισιδίας.* Cf. l. XII p. 568: *ὁ Ταῦρος, ὁ τὴν Καππαδοκίαν ὁρίζων καὶ τὴν Λυκαονίαν πρὸς τοὺς ὑπερκειμένους Κίλικας τοὺς Τραχειώτας.*

21) Non praetereundum est, quod Hierocles in Synecdemo, p. 394, 33 (ed. Bonn.) inter oppida Lycaoniae, quae post Diocletianum provinciam peculiarem effecit, *Ὁμόναδα* locum habet, qui Plinio (l. c.) est Homona. Ceterum australem Lycaoniae partem Ciliciae nomine, quod latius olim patuit, interdum comprehensam esse satis constat. V. commentat. nostram de Asiae praesidibus in Schneidewini Philol. T. II p. 642 ann. 12.

22) Cass. Dion. l. LIV c. 30 p. 461 R.: *καὶ ἄρχοντα οἱ (τῇ Ἀσίᾳ) οὐκ ἐκ τοῦ κλήρου, ἀλλ' αἱρετὸν ἐπὶ δύο ἔτη προςέταξε (Καῖσαρ).* Sic enim necessario ex Spanhemii coniectura (v. de usu et praest. num. Tom. II p. 591) legendum pro vulg.: *καὶ ἄρχοντα οἱ ἐκ τοῦ κλήρου ἀλλ' οὐχ αἱρετόν κ. τ. λ.* Cf. Reimar. ann. ad h. l. et commentat. nostr. de Asiae praesidibus l. c. p. 646.

23) Tacit. Ann. l. I c. 12. Cf. G. A. Rupertii ann.

consul anni 744 (10 a. Chr. n.) praeter ordinem proconsules fuerunt, alter anno 749 (5 a. Chr. n.)[24]), alter ante annum 752[25]). Unde factum, ut consulares, quibus ante annum 742 neque Asia neque Africa obtigisset, paucis annis posterius, quam ex more et legibus potuissent, ad novum munus accederent, velut Cn. Cornelius Cn. f. Lentulus augur gesto anno 740 (14 a. Chr. n.) consulatu, anno demum 753 (1 a. Chr. n.) proconsulatu auctus est[26]). Quae quum ita sint, Quirinum non prius quam circa annum 755 (2 p. Chr. n.) in Asiam provinciam consularem abisse statuerimus.

Syriam, quo missus est anno 759 (6 p. Chr. n.), plures per annos obtinuit[27]). Itaque certis argumentis, quibus eum superiori iam tempore eadem perfunctum esse legatione comprobetur, destituti in inscriptionis nostrae verbis „leg. DIVI · AUGUSTI · ITERVM · SYRIAM · ET · PHoenicen.“ (ex praecedentibus intelligendum videtur: obtinuit,) de prorogato provinciae imperio cogitare malimus. Nec dubitamus, quin Lucas per errorem Quirini legationem ad annum 747, quo Christum C. Sentio Saturnino Syriae praeside natum esse constat, retulerit, censusque, qui hoc anno per Judaeam habitus est, iudaicus fuerit, Herodis auctoritate actus[28]).

Restat, ut pauca de supplemento : et (fugavit vel cepit vel interfecit) dicamus. Quae verba probare non possumus, quum, si posita fuissent, pronomen relativum cum voce „gentem“ coniunctum subsequi, profecto vetuissent. Itaque difficultas, quemnam vocabulum „re]gem“ in sententiarum nexu habuerit locum, alio modo est expedienda. Ac fortasse ad verum propius accedemus, si ex Strabone[29]) Amyntam Homonadensium fraude perisse narrante suppleverimus: „domuit Homonadensium gentem, quae occiderat Amyntam re]gem“.

---

24) v. Ross. inscr. gr. ined. fasc. III n. 312.

25) Quum posterioribus, ut videtur, anni 752 mensibus adulterii cum Julia commissi poenas voluntaria morte praeverterit, (Vellei. l. I c. 100. Cass. Dion. l. LV c. 10 p. 782. Cf. Drumann. hist. Rom. T. I p. 519 sq.) haud posterius quam anno 751 provinciam nactus esse potest.

26) Hoc patet ex inscriptione Nysaea ad prid. Id. Aug. anni 753 pertinente. Boeckh. Corp. inscr. Vol. II n. 2943.

27) Omnino legati Augusti ultra annum cum imperio fuerunt. Decessit vero P. Sulpicius Quirinus Q. Caecilio Metello Cretico Silano, cos. anni 760 (7 p. Chr. n.), quem anno 764 (11 p. Chr. n.) Syriae praefectum Antiochiae numus ostendit ab Eckhelio illustratus. V. Doctr. num. Vol. III p. 276. b — 279. a. Cfr. Noris. l. c. p. 328. 28) v. Hoeck. l. c. p. 416 et 424. 29) l. XII p. 569.

Erratum. p. VI in textu vs. 10 ab imo „Saturnins“ exhibitum pro „Saturninus.“

Luccaviae typis mandavit J. Entleutner.

